

Prob. Hæc definitio convenit omni et soli peccato; ut singula percurrenti apertum fiet: tum quia satis clara est, si, quid et quænam regula morum sit, intelligatur: denique quia ex ea facile reliqua peccati prædicata deducuntur.

Conf. Peccatum nature, præeunte Philosopho L. 2. Phys. c. 8. recte definitur defectus substantiæ creatæ a communi nature ordine ac veluti lege: similiter peccatum artis dicitur defectus a regulis artis; ergo et peccatum moris vel morale recte definitur defectus liber a regula morum, hoc est, actus moralis regulæ morum difformis.

3. *Dico II.* Peccatum sub diverso respectu varie dividitur; et quidem

1°. Ratione suæ entitatis in peccatum *commissionis* et *omissionis*. Primum habetur, si fiat positive, quod prohibetur: *secundum*, si non fiat quod jubetur.

2°. Ratione status in *attuale* et *habituali*. Illud est, quod actu exercetur: hoc est, quod, licet actu non exercentur, sed præteritum sit, perseverat tamen moraliter seu in æstimatione prudenti, quamdiu non remittitur.

3°. Ratione subjecti in *personale* et *originale*. Prius est, quod propria cujusque voluntate contrahitur: posterius, quod ab ortu nobis congenitum in voluntate Adami contractum est.

4°. Ratione effectus et pænæ in *mortale* et *veniale*, quorum illud mortem animæ seu damnationem æternam affert: non item secundum, cujus venia facilior est.

5°. Ratione regulæ morum, aut considerationis ad eandem in *philosophicam* et *theologicam*. A Theologis enim, ait D. Th. hic q. 71. a. 6. ad 5^{um}, consideratur peccatum præcipue secundum quod est *offensa contra Deum*: a Philosopho autem *moralis*, secundum quod *contrariatur rationi*. Unde peccatum pure philosophicum dicitur actus humanus disconveniens soli nature rationali et rectæ rationi: theologicum est transgressio libera legis divinæ, hoc est, æternæ. Reliquæ peccati divisiones habentur in Theol. Mor.

4. *Observa.* Convenit inter Theologos

1°. Omne peccatum disconvenire nature rationali; cum Psal. 48. *jumentis insipientibus*, 2. Petr. 2. fœdissimis pecoribus peccatores fieri similes dicantur: unde S. Aug. L. 1. ad Simplic. q. 2. n. 18. peccatum vocat *hominis deordinationem ac perversitatem*; et L. 3. de lib. arb. c. 14. n. 41. contra naturam esse enuntiat, quem D. Th. hic q. 71. a. 2. sequitur. Accedit ratio; cum enim recta ratio dictet honestum amandum, inhonestum fugiendum esse; sequitur, peccatum nature rationali repugnare.

2°. Peccatum grave (de veniali infra) esse transgressionem seu violationem legis æternæ: nam 1. Joann. 3. alibique peccatum dicitur *iniquitas*, græce *ἀνομία*, seu *deviatio a lege*, et Psal. 118. peccatores vocantur *prævaricantes*. Quod clarius explicant S. Ambros. L. de Parad. c. 8. n. 39. dicens: *Quid est peccatum, nisi prævaricatio legis divinæ et celestium inobedientiæ præceptorum?* et S. August. L. 22. contra Faustum c. 27. sic describens peccatum: *Factum vel dictum, vel concupitum aliquid contra æternam legem*; quam definitionem S. Th. hic q. 71. a. 6. probat, et ratio confirmat. Nullum siquidem est malum, quod non prohibeatur a lege æterna: lex etiam nulla violatur,

quin hoc ipso violetur lex æterna, ut argumentum Apostoli convincit, dum sub initium ad Rom. 13. ait: *Non est potestas, nisi a Deo... Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit.*

ARTICULUS II.

AN OMNE PECCATUM SIT FORMALIS OFFENSA DEI?

5. *Nota I.* Ad rationem offensæ bina requiruntur: 1^{um}. Ut actio, qua alter offenditur, illi displiceat; nemo enim proprie offenditur per id, quod sibi placet, vel certe non displicet, aut quod non curat. 2^{um}. Ut actio ejusmodi aliquo etiam modo sit contra alterum, sic, ut is juste de ea conqueri, aut ægre eam ferre possit; hinc licet furtum v. g. Titii e rebus Sempronii factum mihi displiceat, eo tamen proprie offendi non dicor, si nulla id ratione mihi damnosum accidat.

Offensa autem alia dicitur *materialis*, alia *formalis*. Materialis est, si quis actione sua præbeat alteri causam displicentiæ rationabilis, quin tamen sciverit aut cogitaverit fore, ut illi id displiceat. Formalis, prout opposita materiali, est, si quis id agat sciens ac prudens, aut advertens ad jus, quod alter habet, ne quid fiat vel omittatur. Dixi: *formalis, prout opposita materiali*; nam de offensa Dei formali, ut opposita virtuali, implicitæ ac interpretatiivæ, non agitur in præsentia materia. Hoc sensu enim accepta tantum tribuitur peccato, quod directe et immediate Deum respicit, ut blasphemia, infidelitas etc.

6. *Nota II.* Omni actu malo in re gravi Deus offenditur *materialiter*: ex eo enim, quod peccatum sit legis divinæ violatio, sequitur, justam de eo oriri displicentiam in Deo tanquam auctore legum. An vero peccatum etiam grave sit *formalis* quoque offensa Dei, disputatur præsertim ab iis, qui pro regula morum assignant naturam rationalem, et permittunt ad breve saltem tempus ignorantiam Dei inculpabilem. His enim suppositis dicunt dari peccatum mere philosophicum, seu solum repugnans rectæ rationi, ac demum duntaxat *materialiter*, non autem *formaliter* offendens; si nempe quis invincibiliter Deum ignorans, aut inculpabiliter ad legem æternam non advertens committat actionem rectæ rationi graviter repugnantem. Contra hos

7. *Dico.* Omne peccatum rectæ rationi graviter difforme, est etiam *formalis* offensa Dei.

Prob. Ita est de essentia peccati gravis, esse contra legem, ut malitia peccati non habeatur nisi ex oppositione ad legem; sic enim Paul. ad Rom. 4. v. 15. *Ubi non est lex, nec prævaricatio*. Et Aug. conc. 25. in Psal. 118. n. 1. *Nullum est utique sine prævaricatione peccatum: nulla est autem prævaricatio sine lege; nullum est igitur nisi in lege peccatum*. Quibus similia habet L. 1. de lib. arb. et L. 2. de pecc. merit. c. 16. n. 23. Ergo et omne peccatum grave essentialiter est saltem implicite formalis contemptus, et consequenter formalis offensa Legislatoris, juxta illud: *Qui offendit legem, offendit Regem*. Atqui ex una parte Deus est Legislator, qui vel ipse tulit legem, vel alteri

cuiusque legi vim obligandi dedit : ex altera parte, supponitur peccanti per dictamen rationis esse intimatum, quod actio sit lege prohibita, quia agnoscitur peccatum ; ergo qui advertens, actionem esse peccaminosam et prohibitam, operatur, hoc ipso formaliter agit contra Deum tanquam Legislatorem, eumque offendit.

Conf. Eo ipso, quod peccatum attingatur explicite ut disconveniens naturæ rationali et contrarium rectæ rationi, attingitur implicite ut illicitum, atque adeo ut prohibitum et nullatenus committendum ; ergo attingitur implicite ut oppositum divinæ voluntati illud prohibenti, et ut contemptivum prohibitionis ac offensa Dei. *Prob. conseq.* Quoties peccatum apparet ut prohibitum ita, ut nullatenus liceat, apparet ut prohibitum ab ea voluntate, quæ illud unice sic prohibere potest, ut nullatenus liceat, creaturis quibuscumque aliud suadentibus vel præcipientibus. Ergo quotiescumque peccatum apparet ut omnino prohibitum, etiam apparet oppositum voluntati divinæ, quæ una illud hac ratione prohibere potuit ; ergo apparet ut contemptus divinæ legis et offensa Dei.

8. *Obj. I.* Actus ille Dei, quo Deus judicat et præcipit aliquid agendum vel omittendum, non est *liber* ; alioqui potuisset blasphemiam v. g. nec judicare illicitam nec prohibere : neque potest dici *necessarius* ; quia peccatum alias jam antecederet ad legem esset intrinsece malum. Quod enim Deus necessario judicat esse malum, et ut tale prohibet, non est malum, quia judicatur et prohibetur ut malum ; sed judicatur et prohibetur ut malum, quia tale in se et intrinsece est.

R. N. 2^{am}. *part. Rationem* - D. Antecedenter ad legem peccatum esset intrinsece malum fundamentaliter C. formaliter N. Peccatum formaliter tale, est contra legem ; fundamentaliter tale, est contra fundamentum aut rationem legis. Sicut autem non habetur lex, licet intelligatur ratio legis, utpote quia vis obligandi non stat in legis ratione, sed in superioris voluntate ; ita nec est malum vel peccatum formaliter, quod non est contra formalem legem obligantem. Jam vero sive fundamentum, quod exigit intrinsece malum prohiberi a Deo, statuatur in oppositione cum essentia vel perfectione quadam divina, sive in oppositione cum divinis ideis ; in neutro vis obligandi formaliter habetur, et in primo nequidem ratio dirigendi apparet.

Inst. 1. Antequam Deus ab æterno spectetur judicare, actum charitatis esse moraliter bonum, hic jam intelligitur esse moraliter bonus ; ergo a contrario, in priori quam Deus judicet actum blasphemie esse malum, ille jam est in se malus. *Confirm.* Bonitas moralis, quæ virginitati aliisque consiliis Evangelicis inest, habetur, quin ulla de iis lex existat ; ergo et malitia peccati potest saltem haberi sine formali oppositione ad legem.

R. D. Jam est moraliter bonus fundamentaliter C. formaliter N. Licet ad omnem bonitatem moralem non requiratur semper lex absolute obligans, quia humanæ fragilitati intolerabile eveniret, obligari ad bonum quodcumque ; ut tamen ea formaliter habeatur, adesse oportet vel legem imperantem, vel voluntatem divinam suadentem, aut alio modo impellentem, cum hæc una sit principium formaliter directivum et universalis regula actuum humanorum.

Ad Conf. D. A. Bonitas moralis, quæ in consiliis invenitur, habetur, quin

existat de iis ulla lex absolute obligans C. conditionate obligans N. Suadetur quidem virginitas, non præcipitur ; non acquiritur tamen major perfectio aut præmiū propositum, nisi suscipiatur hoc consilium : qui vero *consilium* amplectuntur, iis certus id exequendi modus servandus est ; ex quo duplici capite in actibus etiam ex consilio duntaxat bonis elucet obligatio conditionata, quæ voluntatem superioris respicit.

Inst. 2. Deus non necessario prohibet omne intrinsece malum : sicut non necessario amat omne bonum creatum ; ergo malum et peccatum non est necessario contra legem prohibentem. *Conf. 1.* Deus potest dispensare in præceptis naturalibus secundæ Tabulæ ; ergo potest etiam ea præcepta non imponere ; ergo nec intrinsece mala his præceptis contraria prohibere. 2^o Possibile est peccatum impunibile ; sed hoc non est contra legem. Nam sicut quod est contra legem, pœnæ subjacet : sic quod non est punibile, contra legem non est ; ergo.

R. 1^o. D. 1^{am}. *p. Ant.* Deus non prohibet necessario necessitate absoluta C. ex hypothesi ; quod creaturas racionales produxerit N. Quoad 2^{am}. *partem*, si de amore estimationis loquatur, *omitto* : si de amore desiderii sermo sit, *concedo* equidem, sed

R. 2^o. N. *paritatem*. Quamvis Deus, ex supposito existentie creaturarum, eas necessario ordinet ad suam gloriam ; non tamen ad eum spectat, ut omne prorsus extrinsecum bonum sibi procuret, maxime, quod eminenter ac virtualiter bona omnia contineat in sua essentia. Sed cum Deus sit essentialiter sanctus, et gubernator optimus ; essentialiter spectat ad ipsum, ut prohibeat, et subditos racionales avertat ab eo, quod intrinsece et fundamentaliter malum est.

Ad Conf. 1^{am}. N. A. Deus proprie dispensare nequit in lege naturali, sed in actionibus circa objecta, suo dominio subdita, addere duntaxat vel demere circumstantiam, ex qua id, quod alias malum foret, jam non amplius tale sit ; vid. Tr. de Legibus.

Ad 2^{am}. Omitto M. quam P. Anton. MAYR probabiliter falsam esse contendit, N. *min.* ; et ejus *prob. D.* Peccatum contra legem subjacet pœnæ, nisi supponat liberam Dei determinationem ad non puniendum C. si supponat, uti foret in hypothesi a quibusdam hic gratis formata N.

Inst. 3. Ad Rom. 2. 12. dicitur : *Quicumque sine lege peccaverunt, sine lege peribunt* ; ergo sine lege peccatum habetur. *Conf. S. THOM. Lect. 2. in c. 7. ad Rom. ait : Sine lege poterat quidem peccatum cognosci secundum quod habet rationem inhonesti, id est, contra rationem existens ; non autem secundum quod importat offensam Dei* ; ergo.

R. D. *Cons.* Habetur peccatum sine lege Judæis tradita, de qua hic loquitur Apostolus C. sine omni lege, naturali vel divina N. S. PAUL. v. 14. sic pergit : *Cum enim Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt ; ejusmodi legem non habentes ipsi sibi sunt lex.* Inde, licet *lex* sub finem sumatur analogice pro conscientie dictamine, sequitur tamen Gentiles non fuisse sine omni lege, atque hinc ad Rom. 2. v. 1. *inexcusabiles* dicuntur : nec etiam caruisse lege æterna ; eo quod per dictamen conscientie intimabatur illis lex naturalis, quæ legem æternam participat.

Ad Conf. D. et Expl. S. TH. Docet hic, quod sine explicita cognitione legis ut divinæ, actionem rationi contrariam non semper cognoscamus sub

conceptu explicito offensæ divinæ *C.* docet, quod actionem rationi repugnantem nec implicite cognoscamus simul esse offensam Dei ac legislatoris cuiusdam summi *N.* Aliud certe non voluit, si quidem hic q. 71. a. 2. ad 4. dixit: *Ejusdem rationis est, quod peccatum sit contra ordinem rationis humane, et quod sit contra legem æternam.* Omitto, quæ ibidem art. 6. de peccati definitione, et q. 91. art. 2. in 0. de legis æternæ participatione statuit.

Inst. 4. Qui agit contra conscientiam invincibiliter erroneam, qua putat se obligari ad mentiendum, peccat: sed enim non agit contra legem divinam; quia Deus per legem suam mendacium non præcipit; ergo.

R. N. min. Ad prob. D. Deus non præcipit mendacium directe et per se *C.* indirecte et per accidens *N.* Præcipit Deus, ne agamus contra id ad quod nos existimamus esse ab ipso obligatos; quia ita agere esset virtualiter negligere et postponere voluntatem Dei. Hinc ad Rom. 14. 23. *Omne, quod non est ex fide, peccatum est.* Ubi ergo per errorem invincibilem quis putat se obligari ad mentiendum, Deus indirecte et per accidens præcipere mendacium dici potest.

9. *Obj. II. Bonum et malum dicitur per comparisonem ad rationem,* inquit S. TH. 1. 2. q. 48. art. 5.; ergo essentialis ratio peccati non est oppositio contra legem, sed rationem. *Conf. Vitium enim,* ait S. AUG. L. 3. de lib. arb. c. 14. n. 4. *non aliunde malum est, nisi quia naturæ adversatur ipsius rei, cujus vitium est;* ergo.

R. D. Ant. Bonum et malum dicitur per comparisonem ad rationem secundum se sumptam *N.* sumptam cum lege Dei, et prout hanc applicat *C.* Quod ANGELICUS DOCTOR formalem peccati rationem ab oppositione legis ducat, constat ex hactenus dictis: quod dictamen autem rationis munus regulæ morum non obtineat, nisi secundariæ dumtaxat et primariam applicantis, dictum est in Tr. de Act. Hum.

Ad Conf. D. et Expl. Ita ut sensus sit: *omne vitium eo ipso, quod vitium sit, contra naturam esse,* ut eod. Libro c. 13. n. 38. loquitur *C.* alio sensu, et legem æternam excludente *N.* Sane eadem loquendi formula in nostram sententiam habetur L. 1. de lib. arb. *Nihil malum, nisi quia lege æterna prohibitum.* Et L. 3. cap. 13. n. 4. *Deus conditor omnium naturarum etiam in earum vitiis laudandus est; cum et hoc ab illo habeant quod naturæ sunt, et in tantum vitiosæ sint, in quantum ab ejus qua factæ sunt arte discedunt.* In quem locum S. THOM. q. 71. a. 2. ad 4. ait: *Lex autem æterna comparatur ad ordinem rationis humane, sicut ars ad artificiatum.*

Inst. 4. Actus bonus haberi potest a sola conformitate cum natura rationali, ut sequitur ex propositione inter damnatas ab Alex. VIII. nona: *Revera peccat qui odio habet peccatum mere ob ejus turpitudinem et disconvenientiam cum natura rationali sine ullo ad Deum offensum respectu;* ergo et actus malus a sola difformitate.

R. N. Ant. Damnata propositio, ut ait Dominic. VIVA, utroque pede claudicat, tum in eo, quod explicitè asserit, tum in eo, quod videtur implicite supponere. Apertus sensus propositionis a *Baianis* et *Jansenistis* quibusdam assertæ innuit tanquam principium, omnem actionem humanam deliberatam, quæ dilectio Dei non sit, esse peccaminosam, quod non tantum in

Baio a pluribus Pontificibus, sed jam ante in *Calvino* et *Luthero* a Trident. Sess. 14. c. 4. reprobatur fuit.

Quomodo autem ex damnatione hujus principii et deductæ ex eo sequelæ inferri potest, actum bonum vel malum haberi unice a conformitate vel difformitate cum natura rationali? Deinde videtur implicite supponere, quod possit objectum aliquod attingi ut disconveniens naturæ rationali, absque ullo ad Deum respectu. Hoc suppositum ex *supradictis* falsissimum est, nec a damnatione propositionis stabilitur.

Inst. 2. Peccatum, ut est offensa Dei, in suo conceptu *formali* involvit talem malitiam, quam non includit, quatenus est contra rectam rationem; nam illud *primo* dicit generalem inobedientiam et virtuales Dei contemptum: *secundo* præfert Deo creaturam. Sed horum neutrum intelligitur in peccato, ut rectæ rationi opposito; ergo. *Conf.* Potest, secundum probabilem, supponi, rectam rationem esse primam regulam morum. Item dissonantia actionis cum natura rationali potest saltem per intellectum præscindi a dissonantia cum lege æterna.

R. D. M. Peccatum ut offensa Dei involvit malitiam, quam, ut est contra rectam rationem, non includit explicitè *C.* quam non includit implicite *N. M.* et *D. min.* similiter. Quando peccatum cognoscitur ut naturæ rationali disconveniens et illicitum, *implicite* etiam cognoscitur a Deo prohibitum; consequenter imbibit rationem generalis inobedientiæ et virtualis contemptus, atque *implicite* etiam ac virtualiter præfert creaturam Deo, exercite scilicet amando id, quod Deus prohibet, et contemnendo legem æternam ac legislatorem.

Ad Conf. D. Ant. Potest supponi secundum probabilem, et per intellectum præscindi etc. speculative *T.* practice *N.* Qui pro regula morum designant naturam rationalem, quamvis concedant omnia rectæ rationi contraria etiam prohiberi a lege æterna, volunt tamen illam prioritatem rationis ante hanc intelligi, atque sic naturam a lege *speculative* præscindi posse. Verum cum intelligi non possit regula actualis, et maxime actualiter in praxi dirigens, nisi ut obligans, quod sine cognitione voluntatis superioris non percipitur; inde fit, ut, quando attingitur aliquid disconveniens naturæ rationali, etiam attingatur contrarium legi et superiori; atque sic illa opinio de regula morum et præcisio intellectus ne *speculative* quidem procedit, multo minus si res ad praxin et actionem consideretur.

10. *Obj. III.* 1°. Omni ætate extiterunt Athei. 2°. Secundum probabilem potest in homine ad breve tempus dari ignorantia Dei. 3°. Status controversiæ præsentis ponitur cum hypothesi; si homo actionem rectæ rationi dissonantem advertens agit, et invincibiliter ignorat Deum, aut de eo non cogitat; ergo.

R. Ad 1^{um}. D. Omni ætate extiterunt Athei practice tales *C.* speculative tales *N.* *Atheus practice talis* est, qui Deum exterius negat, et ita perditæ vivit, ac si Deus non existeret, quemque vellet non esse, quia eum justum suorum scelerum vindicem intimo conscientiæ suæ sensu formidat. *Speculative talis* dicitur, qui Deum mente etiam et ex animo negat. Talem dari negamus: aut contra lumen rationis agentem sibi ipsi exercite contradicere